

Reinardus sacerdos celebravit in Otterberg et Wichmannus sacerdos de Otterstide visitavit infirmos et sepelivit mortuos. Dicit et, quod, cum mortua esset uxor domini Gerfridi, deportata fuit Otterstide, et ibi fuit ei dicta missa, et de voluntate sacerdotis deducta est Zevena et sepulta, domino Gerhardo nunc archiepiscopo castrum possidente. Interrogatus, si presens fuerit in consecratione cimiterii in Campo, dicit, quod non, sed audivit a pluribus, qui dixerunt, se vidisse. Dicit et, quod omnia sacramenta auctoritate Verdensis episcopi et ecclesie ibi sunt expleta.“

„Fridericus miles de Trochlo, ministerialis ecclesie Verdensis, juratus dixit, quod Hugo sacerdos in Otterstide temporibus Hartwici Bremensis archiepiscopi et Rodolfi Verdensis episcopi 56) in castro Boberge sub domino Friderico, domino castri, infirmos visitavit, inunxit, sepelivit et parvulos baptisavit. Dicit et, quod crisma et cetera ecclesiastica sacramenta auctoritate Verdensis episcopi in predictis locis sunt exhibita sine contradictione predictorum archiepiscoporum.“

„Arnoldus miles de Ride, ministerialis Verdensis ecclesie, juratus dixit, quod Wichmannus sacerdos de Otterstide in castro Otterberg et suburbio ejusdem castri visitavit infirmos et cetera ecclesiastica sacramenta explevit sine contradictione auctoritate Verdensis ecclesie, et hoc temporibus Woldemari electi 57) et Gerhardi prioris archiepiscopi Bremensis 57).“

„Tammo de Lintlo, ministerialis Verdensis ecclesie, juratus dixit, quod temporibus Hartwici archiepiscopi Bremensis et Rodolphi episcopi Verdensis et Isonis nunc episcopi sacerdotes, qui pro tempore Otterstide fuerunt, infirmos castri Otterberg et suburbii visitarunt et cetera ecclesiastica sacramenta sine contradictione expleverunt auctoritate Verdensium episcoporum, donec dictum castrum a domino Gerhardo nunc archiepiscopo captum fuit.“

„Heinricus de Trochlo, ministerialis ecclesie Verdensis, juratus dixit, quod temporibus Woldemari Bremensis electi et Gerhardi prioris archiepiscopi Bremensis et Isonis nunc episcopi Verdensis sacerdotes pro tempore in Otterstide in